



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Percontationis, Auersionis, & Dubitationis exempla. Cap. XXX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

proponit. Quando, inquit, ista vel vultu laesit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? eos solos coetus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neq; prateriret verecūdia, nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecūdam; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Hæc figura in quocunq; dicendi genere, commodè adhiberi potest; sed in primis confert ad perspicuitatem orationis, & ad docendum. Sic ea vti licebit: Cogitatis, fratres interdum, vos esse homines ad imaginem & similitudinem Dei factos? cogitatis, sanguine Domini nostri Iesu Christi vos esse redemptos? cogitatis quid pro vobis in sanctissimo Baptismatis sacramento, sponsores vestri polliciti sint? certè rerum omnium, quas commemoravi, vos oblitos esse, quispiam posset existimare, cum sic viuatis, ut nec dignitatem hominis, nec beneficia, quæ à Deo accepistis, recordari videamini.

Percontationis, Auerfionis, & Dubitationis exempla.

Cap. XXX.

**P**ERCONTATIONIS exemplum est illud Gregorij Nazianzeni in Cesarij, cum imperatore congressuri, laudibus: Num dubitatis, nè quid Cesario accidat, huiusmodi animi alacritate parum dignum? at bono estote animo: victor enim discedet: iuuante Christo mundi victore. Percontatio adhibenda est, cum res dubia videtur incidere, & accommodari potest ad populum,

N

in hunc

in hunc modum: Num putatis aliquem esse, qui crucem suam non ferat? mibi credite, & reges, & principes, & omnium generum homines, ferunt crucem suam; maiorem illi, quos feliciores putatis. Auerfione idem Nazianzenus vsus est, cum ad Casarium ita orationem conuertit: Habes à me, Casari, funebre munus, habes orationum mearum primitias, habes à me ornamentum omnium ornamentorum. Sic auerfione utatur Ecclesiasticus orator, excitans populum ad Christianas virtutes: Accepistis, fratres, à me, quæ sit voluntas Dei; accepistis quid sanctum Euangelium doceat: reliquum est, ut nè frustrà vos sermoni meo inter fuisse videamini, operibus ostendatis. Dubitationem adhibuit Basilus in temulentos: Quomodo in his rebus me geram? si & oratio inutilis est, & silentium difficultates multas & incommoda habet, diligentiam, & curam omitemus? at periculum habet negligentia; an in ebrios aliquid loquar? at mortuis auribus insonamus. Ita oratorio quodam modo adhiberi potest figura, quæ dicitur dubitatio, et valet ad docendum, atq; ad delectandum. Surdis canam fabulas, nè cne, vehementer dubito, quod quidem mihi maximè molestum esset. & alio modo, eadem figura vtens, dicere poterit: Interdum dubito, nè nimis obscura videatur vobis oratio cum re, vos non percipere, quæ dico, ostendatis. Correctionis, Præteritionis, & paulum immutati verbi, exempla.

## Cap. XXXI.

**C**ORRECTIONIS exemplū extat apud B. Basilium, in oratione prima de ieiunio. Quid facilius, inquit, & leuius ventri est, tenuitate victus noctem trahere